



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ**

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium  
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

**Puente, Luis de la**

**Pragæ, 1672**

Cap. 15. Quomodo S. Pater Noster Jgnatius modo quodam mystico ipsam,  
approbante Deo, suscepit in suam filiam, instar aliorum ex Societate, &  
quid post hoc evenerit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38580**

## CAPVT XV.

Quomodo Sanctus Pater Noster Ignatius modo quodam mystico ipsam, approbante DEO, suscepit in suam filiam, instar aliorum ex Societate, & quid post hoc euenit.



*Sanctus Pater Noster Ignatius, iubente id DEO, voluit remunerari insignem affectum, quo hac DEI famula ferebatur erga Societatem JESU, suscipien-*

*do ipsam in suam filiam, instar omnium ceterorum in illa degentium, modo quodam mystico, quem illa his verbis refert.*

## §. I.

**D**Um, ait, quodam die, prope Festum Nativitatis (in Decēbri anno 1620.) agerem cum DEO, dignatus est me inviscere Sanctus Pater Noster Ignatius, & post alia dicta, subiecit: Volo tibi prestare magnam gratiam, te nimirum denuo suscipere in meam filiam, acsi verè eses ex Societate, & una è numero reliquorum meorū filiorū, qui istud Institutum profitentur, Die id tuo Confessario. Et bene fiet, si ipse hoc dixerit alijs. Postquam id dixisset, accesserunt mei sancti Angeli, & spirituali modo, quo consueverunt agere, me induerunt veste, quæ erat instar Sacerdotalis Albæ, candidissima, protensa usque ad pedes; cui sanctus Pater Noster superimposuit quandam quasi stolam, ac tandem me cooperuit nigro pallio, quod habebat intertexta multa, & quidem aurea, splendidissima fila, ac representabat præstantiam Instituti Societatis, & amorem DEI ac proximorum, qui in eo relucet. Ego illi dixi: Sancte Pater, quid est mihi faciendum, ut respondeam meæ obligationi? Responditque mihi: Age, quod agis, & sequere semper instructionem Societatis. Rursum ipsi dixi: Quòd si verò DEUS permitteret, ut perderem Confessarium, què modò habeo, & non reperirem alium mi-

hi competentem, quid esset mihi agendū? ille verò: In tali, inquiebat, eventu, non prohibeo tibi, quò minus inquiras, quod tibi conveniat. Quanquam Dominus mihi significavit, non eventurum istum casum.

*Aliquot diebus post, quando mihi recessit istam visionem, ego illi dixi, me vehementer hastitare in eo, quod ipsi fuerit imposita linea Sacerdotalis vestis, & stola, cum iste vestitus non sit proprius Societatis, neque faminarum, sed Sacerdotum. Quare contulit cum DEO hoc dubium, quod ego illi proposueram, post aliquot dies elapsos nobis mysterio, qui illi dixit duas ejus sancti rationes. Volui (ajebat Divina Majestas) honorare actum mysticum, in quo meus servus Ignatius te suscepit, & assumpsit in filia suæ Religionis, acsi re ipsa & verè eses membrum illius, exornando te eâ Albâ, quæ est figura puritatis ac munditiæ, quæ oportet esse præditum volentem amplecti Institutum Societatis JESU, significatum per mysticam stolam, quam tibi superimposuit. Quia verò memineram, quòd Dominus mihi dignatus fuerit ante istud mysterium conferre habitum S. Birgittæ, acsi essem illius Monialis, ut alibi scriptum est, dixi Domino: Quomodo est hoc, mi Domine, quòd, cum mihi dignatus sis conferre habitum S. Birgittæ, modò mihi dederis, per S. Patrem Ignatium, alium novum ac diversum. Quomodo est id intelligendum, mi Domine! Audivit me Divina Majestas, & paulò post mihi respondit graviter ac amanter, dicendo: Ista duo mysteria spiritualia non sùnt sibi contraria, atque sicut nihil in eo est contradictionis, quòd, licet profiteantur, Ordo S. Dominici Regulam Sancti Augustini, & Ordo S. Bernardi Regulam S. Benedicti, tamen*

Ecc

diffe-



differant vestitu ac habitu, habeantque nonnullas Regulas discrepantes, quod addiderint & omiserint S. Dominicus, & sanctus Bernardus quædam pro suo quisque proposito, & spiritu, illis tamen retentis, assumpserintque diversum habitum, ita suo modo, per hoc non fuit ablata, vel immutata prima gratia, quam tibi præstisti, ut esses filia Sanctæ Birgittæ, quia illam tibi de novo contuli, dum te feci filiam Sancti Ignatii & ipsius Instituti.

## §. II.

**A**nimata Marina hoc favore S. Patris Nostri Ignatii, desideravit incorporari, quàm maximè possit, Societati, & propterea anno sequenti 1621. scripsit Epistolam ad Patrem Nostrum Generalem Mutium Vitellescum, ut sibi dignaretur concedere literas participationis meritorum, qualis solet concedi specialiter addictis Societati, qui illam petunt. Has ipsi misit Pater noster Generalis, per Patrem Alphonsum de Canjo, qui ierat Romam Procurator hujus Provinciæ, id quod tantopere DEO placuit, ut contigerit, quod ipsa his refert: Postquam mihi tradidisset quidam Pater Societatis literas, quas vocant Participationis meritorum ejusdem Ordinis, missas mihi Româ à Patre Generali, quibus me assumebat in Sororem Societatis, faciebatque participem omnium ipsius bonorum operum, & pœnitentiarum; quodam die, dum agerem cum DEO, dixerunt mihi mei Domini

Angeli: Veni nobiscum, Soror, volumus enim te ducere ad celestem Patriam, ubi aliquantum quiesces, respirabisque à tuis doloribus. Et statim me cum imperio sustulerunt, collocaveruntque in quodam quasi throno coloris celestis, & ibi mihi aperuit puer quàm formosissimus, indutus duntaxat tunicâ lineâ candidissimâ. Non agnovi illum bene, & mirabar ipsum vehementer, atque propter meos timores incepti illum aspicere quasi averso animo, ipse autem mihi exhibebat magnam affabilitatem, ac amorem. Hoc modo me portaverunt ad celestem Jerusalem, & præsentaverunt Beatissimæ Trinitati Dominus me suscepit amantissimè, ac dixit: Bene veneris, Anima, ades bene associata; veni, quiesces, & respirabis. Tum agnovi, quòd mecum veniret sanctissimus Puer JESUS. Dominus me secum univit, & sanctissimus ille Puer etiam se univit cum sanctissimo suo Eterno Patre, ac disparuit mihi. Ità ibi aliquamdiu mansi, fruendo ijs Divinis Bonis. Deinde sum relatâ ad meum angulum, ubi mihi revocavi in memoriam illa verba, quæ habeo scripta jam pridem in corde meo, & sunt sequentia: *Hic hospitatut JESUS.* Atque Dominus aperuit mihi causam, propter quam mihi comparuerit ille Divinus Puer, fuisse, ut suscepta ad Societatem, in qua habitat JESUS, eidemque adscripta, recordarer in meo corde pridem hospitari JESUM, quod in illo scriptum est.

(\*) I (\*)

